



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio I. De poßibilitate visionis Dei per vim naturalem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

omnia: negationem, quæ omnia de Deo negat: superlationem quæ Deum exultat supra omnia: Ignorantiam, quæ Deum videt in caligine, & non nisi nesciendo nouit. Vide omnino Petauium l. i.



DISPUTATIO II.

De cognitione intuitiua essentia, ac perfectionis diuina. q. 12.

Videre Deum, est participare Dei vitam.



COGNITIONE obscura, & Aenigmatica quam habent viatores de Deo, intra nebulam, & caliginem, transeo ad visionem illam clarissimam, & facie, ad faciem, quæ beatorum hæreditas est. *Gloria Dei viuens homo* (inquit Irenæus l. 4. c. 3.) *vita autem hominis visio Dei.* Subsistentia enim vitæ participatione Dei euenit, Dei autem participatio, est videre Deum; quæcunque verò hætenus dixi, ostendere aliquatenus possunt quanta & quam stupenda sit magnitudo Dei, nunc quæ dicere aggredimur manifestè demonstrant quàm sit mirabilis eius pulchritudo, quæ defixos beatos tenet aspectu & amore sui, de hac ergo visione ut dicam distinctè quatuor video esse capita ad quæ omnia reuocentur. Primum sit possibilitas eius, & existentia. Secundum principia effectiua. Tertium causa formalis extrinseca, obiectum scilicet tum primum tum secundarium. Quartum causa formalis intrinseca quidditas nimirum, & proprietates.

Partitio disputationis.

QVÆSTIO I.

De possibilitate ac existentia visionis Dei.

Art. 1. 3. 4.

POSSIBILIS erit cognitio hæc immediata, clara, propria, si possit intellectus creatus cognoscere Deum in se ipso, facie ad faciem, & sicuti est, ubi duplex est controuersia. Prima vtrum naturaliter id intellectui alicui sit possibile. Secunda vtrum id sit possibile supernaturaliter.

SECTIO I.

De possibilitate visionis Dei per vim naturalem.

Artic. 4.

POSSE Deum videre naturaliter, est posse producere ac recipere visionem illam tanquam sibi debitam, & proportionatam sine concursu, aut auxilio indebito. Difficultas igitur est vtrum intellectus aliquis creatus aut etiam creabilis sufficientes habere possit vires, ad videndum eo modo Deum sine vlla eleuatione, in qua sanè celeberrima, & difficillima controuersia, video longè facilius esse aliena reicere quàm statuere certè quid dici debeat; quod tamen ut in re obscurissima præstem clarissimè proponendus in primis est.

§. I.

Status difficultatis, & multiplex ratio dubitandi.

Quid sit cognitio intuitiua.

CERTUM itaque primò est visionem intuitiuam essentialiter differre à cognitione quæ dicitur abstractiua, est autem difficile statuere in quo positum sit essentialiter illud discrimen; primò enim non in eo differunt, quod cognitio abstractiua, non omnes attingat formalitates quæ sunt in obiecto, sed præscindat & abstrahat vnam ab alia. Intuitiua verò

nulla vtatur abstractione, sed hoc esse falsum ostenditur quæst. 3. Deinde non videntur etiam rectè assignare discrimen istud, alij, quod cognitio intuitiua feratur in rem ipsam, ut actu hic & nunc præsentem & existentem. Hoc enim est difficile, quia possibilia cognoscuntur à Deo intuitiue, & si destrueretur existentia obiecti præsentis, relictâ in oculo eius specie, ac visione, non est dubium quin visio manens esset intuitiua, cum eadem esset, ac prius, alioqui discrimen harum cognitionum esset tantum denominatio extrinseca. Tertio neque rem omnino explicare videtur sententia communis, visionem intuitiuam esse illam quâ obiectum cognoscitur per speciem propriam immediatè illud representantem; abstractiuam, quâ cognoscitur per speciem quæ immediatè representat alterum. Hoc (inquam) videtur difficile, quia potest Deus sine specie propria producere visionem intuitiuam, & sine specie aliena producere abstractiuam. Neque satis est dicere quod Deus suppleat tunc concursum speciei propriæ; nam quaeritur in quo differat concursus iste speciei propriæ, à concursu speciei alienæ. Hoc enim est discrimen visionis, & cognitionis abstractiue quod inuestigamus. Deinde beati ut dicitur postea creaturas intuitiue in Deo vident, sine specie propria, & Deus se ipsum intuitiue videt in creaturis: idèque satis etiam non est dicere quod cognitio intuitiua obiectum cognoscat in se, abstractiua verò in alio.

Certum igitur secundò est verum discrimen ytriusque huius cognitionis esse, quod intuitiua, ita cognoscat obiectum ut est in se ut non cognoscat illud instar alterius, siue prout est alteri simile: abstractiua verò, ita cognoscat illud in alio, ut cognoscat instar alterius, id est prout simile alteri, & veluti proprietatibus eius indutum; hoc enim conuenit, ut patet, cognitioni cuiuslibet abstractiue, nam per eam apprehenditur Deus ad modum *senis*, & Angelus ad modum *iuuenis alati*. Vnde cognitionem hanc vocat Apostolus per speculum, & Aenigma, quia fit per medium imperfectissimum ad cuius similitudinem concipitur Deus; omnibus autem cognitionibus intuitiuis commune est, ut obiectum non apprehendant instar alterius, siue ad modum alterius, ut patet in omni cognitione quâ percipimus obiecta simul cum sensu; nam ea cognoscimus ut sunt in se ipsis, & ut ita dicam ad modum sui, non ad modum alterius: sic visio Dei, attingit Deum ut est in se non autem ad modum, & instar rerum creaturarum, hoc enim vocat Apostolus facie ad faciem, id est sine medio vlllo interposito, cuius instar cognoscatur Deus, sed sicut cogniti à Deo sumus, & sicut ego cognosco hominem, inter cuius faciem, & meam nihil omnino interpositum est, & hoc sine dubio significat vulgaris sententia, quæ cognitionem intuitiuam vocat eam quæ obiectum attingit per species proprias, id est instar sui non instar alterius: abstractiuam quæ fit per species alienas, id est ad modum alterius.

Superesset hic addere quid sit posse facere aliquid naturaliter, quid posse facere obediencialiter siue supernaturaliter, breuiter dico fieri naturaliter posse illud quod ita est proportionatum ut fieri possit sine concursu indebito, & auxilio improporcionado: illud autem fieri non potest nisi obediencialiter, quod est ita improporcionado ut fieri non possit sine concursu & auxilio indebito, ut patet ex his quæ de potentia obedienciali dicta sunt suo loco. Sensus ergo quæstionis est, vtrum cognitio illa Dei ut est in se, & ad modum sui, non autem instar alterius ita sit subtilis, & eleuata ut nullus fieri possit à Deo intellectus, qui elicere vitaliter illam possit nisi eleuatus per concursum indebitum.

Verum discrimen cognitionis intuitiue ab abstractiua.

Quid sit fieri naturaliter aut supernaturaliter.

Ratio

Prima ratio dubitandi.

Ratio dubitandi primo negatiua est, quia nullo argumento vel extrinseco, vel intrinseco probatur implicantia creaturæ quæ Deum videat sine concursu, & auxilio indebito: nihil assertur ex autoritate quod non explicetur facillimè: nihil ex ratione quod non soluatur euidenter, vel etiam quo non probetur Deum etiam obedientialiter videri non posse.

Secunda ratio dubitandi.

Secundò argumentatur Durandus in 4. dist. 49. q. 2. omnis potentia cognoscitiua potest naturaliter attingere obiectum quodlibet contentum sub ratione formali obiecti sui connaturalis; sed Deus prout clarè visibilis continetur sub ratione formali adæquata intellectus: ergo potest naturaliter illum videre, minor est certa, quia si Deus non contineretur sub ratione formali obiecti intellectus, ne supernaturaliter quidem attingi posset ab intellectu, imò obiectum adæquatum eius est ens vt sic: ergo nulum excludit ens, maior ergo probatur, intellectus potest attingere naturaliter totum illud cum quo habet proportionem connaturalem, sed habet proportionem cum omni eo quod continetur sub ratione formali obiecti sui, nam obiectum illud formale non est aliud quam proportio talis obiecti cum potentia, ergo. &c. Confirmatur quia potest Angelus cognoscere naturaliter totum illud cuius superat naturaliter perfectionem, sed superat naturaliter totam perfectionem visionis beatæ, ergo naturaliter potest illam videre: ergo illa non est supernaturalis.

Tertia ratio dubitandi ratio ex Molina.

Tertiò argumentatur Molina difficillimè: potest intellectus aliquis creari à Deo qui contineat in se totam perfectionem cōiuncti ex intellectu S. Petri & lumine gloriæ, ille intellectus videret Deum connaturaliter æquè ac nunc connaturaliter Deum videt intellectus D. Petri iunctus cum lumine gloriæ; nam certum est quod huic coniuncto connaturaliter debita est visio Dei: ergo potest creari à Deo intellectus qui sine auxilio indebito Deum videat. Probatur maior quocunque intellectu habente vim finitam ad intelligendum, potest creari à Deo intellectus perfectiorem & perfectiorem in infinitum vim habens ad intelligendum; sed coniunctum ex intellectu & lumine gloriæ finitam vim habet ad intelligendum, ergo Deus facere potest intellectum qui saltem æqualem habeat vim ad intelligendum ac coniunctum illud ex intellectu & lumine. Cur enim sicut Deus facit in Angelis species quæ continent perfectionem plurium aliarum specierum, non poterit facere intellectum qui contineat perfectionem intellectus, & luminis gloriæ.

Quarta ratio dubitandi de substantia supernaturali.

Quartò si potest dari substantia supernaturalis, dari etiam poterit intellectus qui videat Deum connaturaliter; non ostenditur implicare substantiam supernaturalem, ergo neque implicat intellectus Deum videns connaturaliter, maior euidenter est, quia substantia illa vocaretur tantum supernaturalis cui debita essent accidentia ista supernaturalia, lumen gloriæ, visio Dei, &c. Probatur minor, nulla esse potest maior ratio cur creari possit accidens supernaturale, quàm substantia; ordo enim substantiarum non est inferior ordine accidentium, neque Deus est minus potens in creandis substantijs quàm in accidentibus, sed potest creare accidentia supernaturalia, ergo & substantias. Deinde Deus est sine dubio substantia supernaturalis, Christus est compositum substantiale supernaturale. Neque dubitari potest quin vnio hypostatia, sit substantialis & supernaturalis, ergo substantia supernaturalis non implicat, cui debitum sit lumen gloriæ, quod etiam sine dubio fuit debitum Christo Domino. Denique si est possibilis virtus supernaturalis, cur erunt impossibiles intellectus & voluntas eiusdem ordinis.

Difficultatis resolutio, & efficax eius probatio.

Dico primò nulla creatura existens, aut de potentia ordinaria creabilis, Deum videre potest per vires naturæ. Ita Catholici omnes contra Eunomium & Aëtium, & qui eos sequuti sunt, hæreticos Anomæos, stultissimè asserentes, Deum non minus notum nobis esse quàm sibi, idem necessariò supponebat Pelagius, negans necessariam esse gratiam ad beatitudinis assequutionem & expressè tenebant Beguardi, & Beguina vt refertur in Concilio Viennensi sub Clemente V. neque Durandus excusari ab eo errore potest, quantumuis benignè illum exponat Molina.

Primò enim apertè in eam rem sunt scripturæ. 1. ad Timotheum 6. *Beatus, & solus potens, &c. qui lucem habitat inaccessibilem, quem nemo hominum vidit sed nec videre potest*, & c. 1. dicitur solus esse immortalis ac inuisibilis. Deinde solus Deus dicitur cognitionis illius esse causa Rom. 6. *Stipendium peccati mors gratia autem Dei vita æterna*. Psalm. 83. *gratiam, & gloriam dabit Dominus*, 1. ad Corinthios 2. *que Dei sunt nemo nouit nisi spiritus Dei*, Matth. 11. *nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quis nouit nisi filius*, &c.

Secundò idem expressè definitum habetur à Clemente V. in Concilio Viennensi aduersus Beguardos vt refertur Clementina ad nostrum, de hæreticis, & in omnibus Concilijs, vbi damnatus est Pelagius negans necessitatem gratiæ supernaturalis ad gloriam promerendam. Et nouissimè à Pio V. & Gregorio XIII. inter errores Michaëlis Baij, etiam ille damnatus est, art. 11. & 18.

Tertiò idem vnanimiter tradunt patres. Irenæus l. 4. c. 37. *Homo ipsum non videt, ille autem volens videtur ab hominibus quibus vult, incapabilis & incomprehensibilis, visibilem se comprehensibilem, & capacem hominibus præstat*, S. Maximus Centuria 1. non potest anima ad cognitionem Dei attingi, nisi condescensit quodam vsus, ipsam animam tangat, & ad se euehat, Athanasius orat. contra Idola, Deum à nemine cognosci posse nisi per effectus fusè probat & eleganter. Nazianzenus orat. 2. de Theologia. *Idcirco media* (inquit) *inter nos ac Deum corporea hæc caligo interiecta est, non secus ac nubes illa inter Aegyptios & hebræos: posuit enim tenebras latibulum suum hoc est crassitiem nostram*; idem asserunt Basilus l. 1. contra Eunomium, Cyrillus l. 11. Thesauri, & Chrysostomus homilijs quinque de incomprehensibili Dei natura, aded vt visus sit contrario errori fauere vt dicitur postea. Inter Latinos Patres eximie probat hoc Augustinus epist. 112. c. 14. & l. 12. ciuitatis c. 9. adeo vt hoc omnino sit de fide.

Quartò ratio naturalis quæ illud probet difficillimè inuenitur vt constabit ex sequenti assertionem.

Dico secundò nullus intellectus creabilis est à Deo qui Deum intuitiue cognoscere possit per vires naturæ, ita etiam Theologi ferè omnes cum S. Thoma hic & Scoto in 4. dist. 49. quæst. 11. nonnulli autem licet idem sentiant, aiunt tamen, id vix demonstrari. Maior in 4. dist. 49. q. 4. Molina q. 12. art. 5. disp. 2. Herice disp. 48. 64. Albertinus principio 1. Philosophice, q. 3. Theologica, Valentia p. 3. Becanus t. 1. c. 9. q. 5. Ripalda l. 1. d. 23. sect. 1.

Primò enim ita omnino colligitur ex scripturis vbi absolutè solus Deus esse dicitur *inuisibilis*, & eius perfectiones appellantur *inuisibilia Dei*, hoc autem esset falsum, si alicui creaturæ possibili, esset naturaliter visibilis, dicitur etiam *habitare lucem inaccessibilem*, ad quod exigitur vt illa nemini sit accessibilis sicut

Nulla creatura visio Dei est naturalis.

Prima probatio ex scripturis.

Secunda probatio ex Concilijs.

Tertia probatio ex patribus.

Nulla creaturæ possibilis visio Dei est naturalis.

sicut antequam esset homo improprie dictus fuisset sol esse inuisibilis. Deinde dicitur solus filius nouisse patrem, *neque patrem quisquam nouit nisi filius*. Hoc (inquam) verum esse non posset, si esset possibilis aliqua creatura quæ Deum videret naturaliter. Præterea vita æterna non esset absolute gratia supernaturalis, & omnia auxilia quibus illam meremur non dicerentur esse supernaturalia, & exigere auxilium supernaturale, si autem compararentur cum solis creaturis existentibus, verum hoc non esset; sicut perfectio supremi Angeli si non existeret non posset dici supernaturalis, vnde argumentari licet efficaciter. Certum est visionem beatam esse supernaturalem, sed quod non superat exigentiam creaturæ cuiuscunque possibilis, sed tantum existentis non est supernaturale, alioqui proprietates supremi Angeli si non existeret, vt dixi, essent supernaturales respectu hominum, & aliorum Angelorum, ergo, &c.

Probat
ex scriptu-
ris.

Probat
ex patri-
bus.

Secundo illud est etiam de mente patrum qui dicunt absolute Dei visionem superare vires omnis creaturæ, v. g. Dionysius, *Vincit omnem rationem*, (inquit) & mentem. S. Maximus, *omnium mente prædicatorum fugit intellectum*. Cyrillus, *nullus Natura dei-
tatis capax est intellectus*. Deinde dicunt sæpissime nullam creaturam quia ex nihilo facta est, esse posse naturaliter impeccabilem, si autem naturaliter posset videre Deum, naturaliter esse posset incapax peccati ex se ipsa; quia cum visione Dei stare non potest peccatum. Hæc autem doctrina est Augustini, Fulgentij, Anselmi, & aliorum. Vnde argumentari etiam licet, nam nulla ratio probare potest nullam esse creaturam actu existentem quæ videre possit Deum, quæ non probetur id esse impossibile omni creaturæ, etiam possibili, vt patebit considerant; solus enim excessus infinitus perfectionis probare hoc potest de creatura existente, sed qualibet creatura possibilis infinite à Deo distat, ergo neque illa Deum potest videre naturaliter. Neque valet quod obijcit Herice, intellectum etiam instructum lumine gloriæ infinite à Deo distare, & tamen videri Deum ab eo connaturaliter; Negatur enim paritas, quia intellectus cum lumine gloriæ obediuntialiter tantum & supernaturaliter ac instrumentaliter producit visionem vt dicitur postea.

Probat
S. Thomæ.

Tertio ratio S. Thomæ hic art. 5. & l. 3. contra gentes c. 52. optima est, sed difficillima & à Scoto alissque tum recentioribus, tum antiquioribus latè impugnata, sed eam defendunt Suarez, Fasolus, Albertinus, Arrubal, Recupitus. Fundatur autem in eo principio quod modus cognoscendi, sequatur modum essendi, vnde fit vt Deus qui est actus purus nulli creaturæ obijci possit nisi modo potenciali non autem eo modo quo est in se siue vt est actus purus, videtur autem sic clarè proponi posse.

Deus non potest videri naturaliter ab vllò intellectu creabili prout est in se, si non possit obijci intellectui potenciali prout est actus purus, sed tantum instar entis potentialis; sed intellectui potenciali non potest obijci prout est actus purus: ergo non potest videri naturaliter ab vllò intellectu creabili eo modo quo est in se, sed semper obijcitur instar entis potentialis. Probat minor, nam in maiori non est difficultas. Obiectum cognitum semper obijcitur intellectui cognoscenti, secundum modum immaterialitatis ipsius cognoscentis, sed modus immaterialitatis intellectus potentialis est potentialis, igitur obiectum cognitum semper representatur per modum potentialis, minor euidenter est; nam modus immaterialitatis seu abstractionis à materia duplex est, alter est iunctus simplicitati qui solius Dei proprius est: alter compositioni, qui conuenit omni enti

potentiali, etiam si vnum ens potentiale sit immaterialius quàm aliud non genericè sed specificè, nam supremus Angelus est immaterialior specificè Angelis inferioribus, sed non genericè, quia semper est potentialis.

Tota difficultas est in maiori quam sic probo primo à priori, ex notissimo illo Axiomate quod modus operandi, sic sequitur semper modum essendi, vt non possit esse illo perfectior; nam operatio est ab ipso esse, ergo necessario illud sequitur, neque potest illud superare si est naturalis, actus ergo naturalis, proportionari debet potentia, atque adeo essentia. Et hæc commensuratio actus ad potentiam non debet esse solum entitatiua sed etiam representatiua, vt rectè notat Recupitus l. 6. quæst. 3. n. 31. adeo vt substantia cognoscenti, proportionetur, tum secundum entitatem, tum secundum representationem, representando scilicet obiectum iuxta modum immaterialitatis quem habet cognoscentis, quia quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur. Confirmatur quia tota vis intelligendi fundatur in abstractione à materia, vt suppono ex Philosophia, ergo potentia cognoscentis superari non potest à modo immaterialitatis obiecti cogniti, alioqui naturaliter perfectiorem haberet modum cognitionis quàm immaterialitatis.

Maiora
priori pro-
bata.

Deinde à posteriori probatur eadem maior. Nam tota ratio cur nulla potentia materialis potest cognoscere rem spiritualement, est, quia obiectum, & potentia debent conuenire in modo immaterialitatis; similiter nulla potest afferri alia ratio, cur anima quamdiu est in corpore non possit intelligere spiritualia, nisi ad modum corporum; Deum enim obijcimus menti per modum *seis*, Angelum per modum *iunensis alati*, nam idè tantum hoc euenit, quia obiectum non representatur potentia nisi secundum modum immaterialitatis in quo est potentia, quod si verum est, manifestè sequitur quod intellectui potenciali actus purus representari non potest naturaliter nisi ad modum entis potentialis, sicut experimur quod intellectui affixo materie non representatur Angelus nisi ad modum entis materialis, & experimur etiam quod oculus qui flauo colore tinctus est, omnia flaua videt, & interposito vitro viridi omnia videt viridia.

Altera
probatio
maioris à
posteriori.

Hæc est vera & solidissima ratio S. Thomæ ducta ex puritate actus, cui similis etiam illa est quæ duci potest ex infinitate; nulla enim potentia finita magis potest naturaliter attingere obiectum infinitum prout infinitum, quàm effectum infinitum; sed non potest attingere naturaliter effectum infinitum: ergo neque obiectum infinitum vt infinitum. Probat maior, nam potentia intelligens non minus est finita in ratione intelligentis, quàm in ratione efficientis, sed propter limitationem in ratione efficientis nihil potest producere nisi finitum, ergo propter limitationem in ratione intelligentis nihil infinitum attingere potest vt infinitum, sicut certum est esse impossibilem potentiam visuam finitam quæ naturaliter attingat coloratum infinite extensum, & intellectum finitum qui cognoscat naturaliter infinita possibilia.

Dices primò ex Scoto & alijs qui rationem sancti Thomæ allatam pluribus, & difficilibus impugnant argumentis. Si enim valeret illa, sequeretur quod Angelus inferior cognoscere non posset intuitiue Angelum superiorem, quia exceditur ab eo in modo essendi. Sequeretur etiam quod ne abstractiue quidem ab intellectu creato potest Deus cognosci nam de omni cognitione militat æqualiter ratio, quod obiectum non potest excedere potentiam in modo essendi. Denique visio beata est potentialis, & finita,

Ratio
S. Thomæ
à Scoto
impugna-
ta.

&

& tamen attingit actum purum, & infinitum ut in se est, ergo intellectus potentialis, & finitus potest similiter attingere actum purum, & infinitum; cur enim visio immediate hoc potest, intellectus immediate non potest. Similiter intellectus instructus lumine gloriæ cognoscit intuitivè Deum connaturaliter, & tamen est potentialis, ergo intellectus potentialis & finitus potest attingere connaturaliter actum purum.

Respond. Angelum superiorem attingi posse intuitivè ab Angelo inferiori, quia licet excedat eum in nobilitate quasi specificè, est tamen intra eundem gradum genericum immaterialitatis seu abstractionis à materia, ut ostendi. Deus autem est in gradu immaterialitatis superiori cum excludat potentialitatem & finitatem; abstrahit enim non solum à materia sensibili, & intelligibili, sed etiam ab omni potentialitate. Denique nego sequi quod abstractivè non possit cognosci actus purus ab intellectu potentiali, quia cognitio hæc abstractiva objicit sibi Deum modo potentiali, cum non attingat Deum eo modo quo est in se, sed secundum modum suum. Fateor visionem potentialem & finitam versari posse circa obiectum purum & infinitum, nego id posse intellectum potentialem & finitum: ratio est quia non necessariò datur proportio inter actionem, & effectum, sicut datur inter agens principale, & terminum, ut patet, nam actio cum sit via, & tendentia ignobilior esse potest effectui, agens principale non potest. Dixi principale ut præcluderem ultimam instantiam de intellectu habente lumen gloriæ qui licet potentialis ac finitus, attingit tamen actum purum, sed attingit ut instrumentum Dei ut postea dicam. Tantum addo simili argumento probari posse, quod creatura potest creare principaliter, quia creatio attingit effectum ex nihilo.

Secunda
impugna-
tio ratio-
nis sancti
Thomæ.

Dices secundò tunc obiectum est in cognoscente secundum modum naturæ cognoscentis, quando actio est proportionata cognoscenti; sed visio Dei erit semper potentialis, & finita, etiamsi cognoscatur Deus intuitivè, ergo licet cognoscatur Deus intuitivè, obiectum erit in cognoscente secundum modum cognoscentis. Deinde si obiectum & potentia convenire debent in modo essendi, Deus non potest cognoscere creaturam: substantia non poterit cognoscere accidens: potentia composita non poterit cognoscere nudam essentiam, præsciendò ab omni compositione cum accidentibus: intellectus singularis non poterit cognoscere univèrsale videtur enim eadem ratio. Denique certum est quod cognoscimus naturaliter Deum non esse potentialem & finitum: ergo potest cognosci à nobis Deus sub ratione actus puri, & infiniti.

Resp. actionem esse debere proportionatà cognoscenti, non solum entitivè, adeò ut sit potentialis sicut cognoscens est potentiale, sed etiam representativè adeò ut representet tantum tanquam potentiale ut satis probatum est, aliòqui obiectum non representabitur cognoscenti per modum abstractionis à materia propriæ cognoscentis. Cum dixi debere obiectum, & potentiam convenire in modo immaterialitatis, significavi tantum quod non debet obiectum excedere; si enim excedatur cognosci potest, sicut causa producere potest effectum imperfectiorem, non autem perfectiorem. Vnde mirum non est quod Deus cognoscat creaturam, substantia cognoscat accidens, potentia composita cognoscere potest nudam essentiam præsciivè simplicem; quia non propterea humani modi essentia excedit modum essendi potentiæ compositæ, neque obiectum univèrsale, superat modum immaterialitatis intellectus singularis. Fateor

Tom. I.

cognosci à nobis naturaliter quod Deus non sit potentialis & finitus, atque adeò cognosci negativè quod sit actus purus, & infinitus quod non excedit modum essendi intellectus potentialis, excederet autem si cognosceretur positivè ut actus purus, & infinitus.

§. III.

Duplex alia probatio posita veritatis.

Quartò argumentari efficaciter licet cum Vasque, Salas, Conink, implicat creatura quæ per vires sibi proprias sit impeccabilis, sit Dei amica & filia naturalis, sit beata ex se ipsa connaturaliter, creatura cui connaturalis esset visio Dei, haberet hæc omnia naturaliter; nam cum visione Dei repugnat peccatum, gratia est connaturalis videnti Deum, & visio est ipsa beatitudo: ergo implicat creatura quæ Deum videat naturaliter. Minor est evidens, quia cum visione Dei repugnat peccatum, cum ergo hæc creatura contineret eminenter visionem Dei, & totam eius perfectionem contineret etiam repugnantiam cum peccato, deinde per sua naturalia posset habere visionem Dei, ergo etiam per sua naturalia posset habere repugnantiam cum peccato, & filiationem Dei.

Quarta
probatio.

Tota ergo difficultas est in maiori quæ probatur primò ut dixi ex doctrina patrum vulgò asserentium, impeccabilitatem nulli creaturæ esse posse naturalem, quia est facta ex nihilo, atque adeò ad nihilum tendit, & defluit, ut ait Gregorius l. 5. Moralium c. 25. vel etiam quia solum est summum bonum quod vitari non potest, alia omnia vitari posse; quia per se ipsa nihil sunt, ut ait Augustinus l. de vera religione c. 9. Deinde argumentor omnis creatura ex sua natura est peccabilis si ex sua natura potest deflectere à regula, sed nulla est creatura quæ non possit deflectere à regula, ergo, &c. Probatur minor omnis creatura quæ deflectere non potest à regula, est essentialiter sua regula, si enim non est sua regula, deflectere ab ea potest, sed quælibet creatura distinguitur à sua regula, ergo potest ab ea deflectere.

Creatura
naturaliter
esse non
potest im-
peccabilis.

Deinde, alterum membrum erat quod creatura naturaliter esse non potest filia Dei, hæres per naturam, & consors naturæ divinæ. Probatur, quia illa natura cui servitus est naturalis, non potest esse filia, & amica & hæres sui Domini, sed quælibet creatura naturaliter est serva ergo, &c. Deinde illa creatura non esset filia solum adoptiva, sed verè naturalis, quia filiatio esset ei naturalis, repugnat autem adoptioni ut sit naturalis.

Nulli
creaturæ;
naturalis
est filiatio
divina.

Denique, ultimum membrum erat de beatitudine quam ex se habere nulla creatura potest, ut disertè asserit Augustinus l. 3. contra Maximinum c. 12. & sententia 143. apud Prosperum. Probatur: quia beatitudo est possessio Dei, sed nulli servo naturalis esse potest possessio sui Domini, ergo, &c. Deinde illa creatura quæ videret Deum connaturaliter, videret decreta libera, ergo naturaliter cognosceret futura, atque ita cognitio futurorum non esset certa nota divinitatis, imò sicut nulla creatura naturaliter participare potest aternitatem, immensitatem, omnipotentiam Dei, sic neque potest participare beatitudinem.

Beatitudo
est super
naturalis.

Dices primò cum Herice creaturam illam radicaliter tantum fore impeccabilem non autem formaliter, quia posset illi Deus negare concursum ad visionem debitam. Sed contra: nam illa creatura contineret perfectionem visionis quam naturaliter produceret, ergo haberet naturalem, repugnantiam cum peccato. Deinde si debita illi esset

E

visio,

visio, non deberet illam Deus negare, ut peccare posset. Denique semper verum esset, quod per sua naturalia esse posset impeccabilis.

Dices secundò, Christo Domino connaturalis esse otest servitus, cum debito filiationis & beatitudinis, ergo cum titulo servitutis non pugnant filio & beatitudo debita naturaliter.

Respondeo manifestam esse disparitatem etiam si concedatur Christum esse servum Dei; nam servitus, & filio naturalis sunt impossibiles in natura quæ vnica non est persona Domini, sed non sunt impossibiles ubi est vnio cum persona Domini, qualis est in Christo Domino.

Dices tertio, homo habens gratiam est verè servus, & tamen connaturaliter est amicus, filius, haeres, & beatus: ergo ista creatura quæ haberet totam perfectionem gratiæ posset esse serva, & tamen esse filia, &c. Ostende autem implicare creaturam quæ habeat totam perfectionem gratiæ.

Respondeo implicare huiusmodi creaturam, quia esset naturaliter impeccabilis, & filia non solum adoptiva, sed naturalis; homo habens gratiam ut sic est impeccabilis accidentaliter, & filius adoptivus, quod non repugnat servituti naturali, sicut repugnat impeccabilitas & filio naturalis.

Quintò denique cum Suare, Vasque, Recupito efficaciter argumentor ex impossibilitate substantiæ supernaturalis, quam supra indicavi. Si visio Dei posset esse connaturalis alicui subiecto creabili, dari posset diuinitus aliqua substantia supernaturalis, illa est prorsus impossibilis, ergo nulli creaturæ possibili potest visio esse connaturalis: maiorem concedunt aduersarij, & contendunt illam creaturam non posse habere connaturalitatem ad hæc accidentia supernaturalia nisi quia est supernaturalis.

Minorem ergo cum communi, & verissima sententia sic probò, si daretur substantia supernaturalis, idè illa, esset talis, quia conuenirent ei accidentia supernaturalia, & accidentia dicerentur supernaturalia, quia conuenirent substantiæ supernaturali hoc dici primò non potest sine vero circulo, & vitiosa petitione principij, ergo nulla potest esse substantia supernaturalis. Deinde lumen gloriæ vel est supernaturale quod excedat omnem intellectum possibilem: vel quod excedat aliquem intellectum determinatum verbi gratia humanum & Angelicum. Si primum, ergo illud nulli substantiæ possibili esse potest connaturale: si secundum ergo perfectio supremi Angeli est supernaturalis, quia excedit perfectionem Angelorum inferiorum, imò perfectio qualibet Angelica erit supernaturalis quia excedit perfectionem humanam. Nam ad supernaturalitatem, sufficit per te ut excedat aliquam perfectionem creatam determinatam: si enim excedere debet omnem perfectionem creabilem, ergo visio beata nulli naturæ creabili erit naturalis vnde.

Ratio ducitur à priori, ens supernaturale dicitur illud quod excedit exigentiam omnis naturæ creabilis quæcunque illa sit, visio beata est supernaturalis ut fatentur aduersarij, ergo excedit exigentiam cuiuscunque naturæ creabilis. Maior probatur quia si excederet tantum perfectionem naturæ creatæ non autem creabilis, omnes creaturæ possibiles quæ sunt perfectiores ijs, quæ creatæ sunt, essent supernaturales ut nuper dixi, quia excedunt perfectionem naturæ creatæ.

Deinde argumentor efficaciter & ostendo supernaturalitatem implicare contradictionem, cum substantia creata, implicat id quod est natura, esse supra naturam, omnis substantia est natura, & ens su-

pernaturale est supra naturam, ergo implicat substantia supernaturalis. Maior est in terminis nota probatur minor, illud est natura quod est principium motus, & quietis eius in quo est; nulla est substantia quæ non sit huiusmodi principium, ergo nulla est quæ non sit natura, in ea propria significatione, quæ ens supernaturale dicitur esse supra naturam; nam esse supra naturam, est, esse supra substantiam quæ sit principium motus, & quietis in se ipsa. Dicitur enim quid significare aliud possit natura quando dicitur supernaturale illud esse quod est supra naturam, nihil significare aliud potest quàm id quod est supra substantiam, quæ est creata & principium motus in se ipsa.

Dices primò, accidens supernaturale dici quod est supra omnem exigentiam substantiæ naturalis, non autem quod est supra exigentiam substantiæ supernaturalis. Sed contra, nam erit (ut dixi) manifestus circulus, cum accidens dicatur supernaturale propter substantiam supernaturalem, & substantia sit supernaturalis propter accidentia supernaturalia. Deinde ostendi, ens supernaturale necessarè esse supra exigentiam omnis naturæ creabilis; si enim est supra exigentiam tantum alicuius naturæ, iam omnè accidens altero perfectius erit supernaturale: cum autem dicis illud esse supra exigentiam naturæ naturalis, non supra exigentiam naturæ supernaturalis videris omnino loqui contradictoria. Nam visio beata, est supernaturalis, quia est connaturalis substantiæ suæ naturæ supernaturali, non autem substantiæ suæ naturæ naturali. Quod videtur nugatorium, & ponit supernaturalitatem in eo quod superet perfectionem alterius, nam visio est supernaturalis quia debetur substantiæ excedenti perfectionem earum quæ creatæ sunt. Vnde argumentor, sicut visio Dei connaturalis illi substantiæ, est supra exigentiam naturæ supremi Angeli sic perfectio supremi Angeli est supra exigentiam Angeli inferioris, ergo tam est supernaturalis perfectio supremi Angeli quàm visio.

Dices secundò, conceptus supernaturalitatis si repugnat cum substantia creata, vel repugnat cum ea ut substantia est, & sic Deus non est substantia supernaturalis: vel repugnat cum ea ut creata est, & sic nulla res creata esse potest supernaturalis.

Respondeo primò quidem Deum propriè loquendo secundum se non esse substantiam supernaturalem, est enim verè natura, quamuis in ratione obiecti verè sit supernaturalis, quia non potest attingi ut est in se per actum naturalem, deinde quia infinite distat ab omni ente creabili etiam supernaturali. Deinde dicerem quod supernaturalitas non pugnat cum ratione præcisa substantiæ, neque cum ratione creati, sed cum utraque ratione iuncta simul.

Dices tertio, vnio hypostatica est substantialis, & supernaturalis. Christus est compositum substantiale supernaturale deinde supernaturalitas vel est perfectio, & sic magis conuenire debet substantiæ, quàm accidenti quod est minus perfectum, vel est imperfectio, & sic accidens supernaturale minus erit perfectum quàm accidens naturale. Denique omne accidens dicit naturalem ordinem ad aliquod subiectum, visio Dei est accidens, ergo dicit ordinem ad aliquod subiectum, non ad substantiam naturalem, ergo ad supernaturalem.

Respondeo supernaturalitatem repugnare cum ratione substantiæ præsertim creatæ quæ natura est, non repugnare cum natura modi substantialis quia ille non est natura, idè mirum non est quod vnio substantialis hypostatica sit supernaturalis. Christus est verè compositum supernaturale cui debita

Prima obiectio.

Secunda obiectio.

Impossibilitas substantiæ supernaturalis.

Probatur ex variis incommo-
dis.

Probatur à priori.

ta sunt accidentia supernaturalia quia includit personam increatam. Dixi esse impossibilem substantiam purè creatam, quæ sit supernaturalis, non dixi substantiam vnitam personæ diuinæ substantialiter esse non posse supernaturalē, supernaturalitas est vera perfectio, cuius tamen nego capacem esse substantiam quia est natura creata & non potest aduenire subiecto supra exigentiam cuiuscunque subiecti. Eodem autem argumento probaretur formicam esse posse supernaturalem, quia cum sit substantia, nobilior est accidente supernaturali. Denique illa maior distinguitur, omne accidens dicit ordinem ad subiectum in quo sit naturaliter nego: in quo sit naturaliter vel obedientialiter concedo, accidens supernaturale dicit ordinem essentialem ad subiectum in quo sit obedientialiter, non in quo sit naturaliter.

§. IV.

Rationes dubitandi dissoluntur.

Solutio
primæ du-
bitationis.

AD primam Respond. satis constare quomodo tum ex autoritate, tum ex ratione probetur efficaciter impossibilitas creaturæ, quæ naturaliter Deum videat. Neque probatur iisdem rationibus illum obedientialiter videri non posse, vt satis ostendi, quia obedientialiter producere visionem, est producere illam vt instrumentum Dei, non debet autem instrumentum conuenire in modo essendi cum obiecto, sicut conuenire debet causa principalis.

Solutio
rationis
Durandi.

Ad secundam Respond. negando quod omnis potentia cognoscitiua possit cognoscere naturaliter quodlibet obiectum contentum sub ratione formali obiecti sui adæquati: sic enim sequeretur nullum omnino esse obiectum supernaturale. Ad probationem distinguitur maior, intellectus potest naturaliter attingere totum illud cum quo habet proportionem naturalem concedo: cum quo habet proportionem obedientialem nego. Falsum autem est quod intellectus habeat proportionem naturalem cum omni eo quod continetur sub ratione formali obiecti sui. Nam ratio formalis obiecti adæquati est proportio talis obiecti cum potentia, sed indifferens ad naturalem, & obedientialem; si enim contrahatur per differentiam aliquam proportionatam, habet proportionem naturalem, si per differentiam improporionatam, habet proportionem obedientialem. Cum ergo ens quod est obiectum intellectus, contrahatur ad Deum vt visibilem per differentiam improporionatam, Deus vt visibilis continetur quidem sub ratione formali obiecti intellectus, sed attingi non potest naturaliter. Deus autem vt cognoscibilis per species alienas est omnino proportionatus intellectui & ab eo naturaliter attingi potest. Ad confirmationem. Resp. eodem argumento probari posse quod formica cognoscere possit visionem beatam, cuius perfectionem superat cum sit substantia. Distinguitur ergo hæc propositio, Angelus potest cognoscere illud totum cuius perfectionem superat, secundum omnem rationem tum genericam, tum specificam concedo: si superet in vna ratione, in altera superetur nego, visio beata secundum rationem accidentis imperfectior est Angelo, secundum rationem supernaturalitatis perfectior illo est, vt ex dictis patet.

Solutio
rationis
Molinæ.

Ad tertiam Respond. primò negando absolute illam maiorem potest intellectus aliquis creari à Deo qui contineat in se totam perfectionem coniuncti ex intellectu & lumine gloriæ. Ad probationem distinguitur illa maior quolibet finito fieri à Deo potest aliquid perfectius, quod sit in eodem ordi-

Tom. I.

ne concedo, quod sit in diuerso ordine, & genere nego, verbi gratia etiam si homo finitus sit, implicat tamen vt Deus faciat formicam perfectiorem homine, gratia est finita, neque tamen fieri à Deo potest calor perfectior gratia. Cum ergo intellectus sit diuersi ordinis, & inferioris quàm lumen gloriæ quantumuis infinite crescat, non æquabit perfectionem luminis gloriæ, intellectus autem supernaturalis implicat, quia implicat substantia supernaturalis vt dixi, esset enim intellectus alicuius substantiæ quæ non posset esse naturalis.

Deinde minor etiam huius argumenti distingui debet, ille intellectus videret Deum connaturaliter, principaliter nego, instrumentaliter concedo; implicaret autem vt intellectus ille habens perfectionem coniuncti videret instrumentaliter, quia si visio connaturaliter ei esset debita, non posset esse instrumentum obedientiale, ad illam eliciendam, sed nec posset producere principaliter, quia sic excederet vires huius coniuncti, quod Deum videt obedientialiter.

Instabis primò cum *Herice* potest Deus facere intellectum ad eò perfectum vt adæquet coniunctum ex intellectu humano, & habitu supernaturali, qui comprehendit Angelum, ergo potest facere intellectum æquè perfectum, ac coniunctum ex intellectu, & lumine gloriæ, quia sicut intellectus humanus ad videndum Deum eget auxilio supernaturali sic etiam eo indiget ad comprehendendum Angelum, antecedens patet, quia supremus Angelus naturaliter comprehendit Angelum illum quem homo comprehendere non potest sine auxilio supernaturali.

Respond. negando consequentiam, est enim disparitas inter comprehensionem Angeli & visionem Dei, nam comprehensio Angeli potest esse naturalis intellectui alicui, idè non est mirum quod Deus possit creare intellectum cum tota perfectione coniuncti ex intellectu, & auxilio eleuante ad comprehensionem Angeli, visio autem Dei nulli potest intellectui creato esse connaturalis, idè repugnat vt aliquis intellectus habeat perfectionem coniuncti ex intellectu & lumine gloriæ.

Instabis secundò si alicui intellectui adderetur perfectio quam habet lumen gloriæ, non propterea intellectus desineret esse intellectus, neque desineret esse finitus, neque creatus, ergo non repugnat vt illa perfectio addatur intellectui, probo antecedens intellectus cum lumine gloriæ est intellectus, & creatus, & finitus, ergo intellectus habens perfectionem coniuncti esset intellectus finitus & creatus. Confirmatur, additâ intellectui perfectione entis finiti, & creati non desineret intellectus esse creatus, & finitus, sed additâ perfectione luminis gloriæ, adderetur perfectio entis creati, & finiti, ergo, &c.

Respondeo negando primum antecedens, si enim alicui intellectui adderetur perfectio quam habet lumen gloriæ desineret esse intellectus; illa enim perfectio repugnat intellectui solitarie sumpto, sicut licet homo iunctus cum leonè non desinat esse homo, si tamen homini adderetur natura leonis desineret esse homo vt patet. Substantia iuncta cum accidente substantia est, sed si substantiæ adderetur perfectio accidentis iam desineret esse substantia.

Ad quartam nihil habeo quod addam ijs quæ dicebam superius de impossibilitate substantiæ supernaturalis, vbi soluta sunt omnia quæ opponebantur.

Tantum dubitari posset, vtrum repugnet intellectus qui cognoscat connaturaliter & intuitiue res

E 2

superna

Prima in-
stantia.

Secund-
inst.

Solutio
quartæ du-
bitario

Dubium
necidens
de intelle-
ctu cogno-
scentie na-
turaliter
supernatu-
ralia.

supernaturales v. g. visionem Dei, gratiam, &c. quia illa entia intelligi possunt ab aliquo intellectu, quæ sunt in eodem gradu abstractionis à materia, illa enim ratio erat ob quam negabatur possibilitas intellectus qui Deum naturaliter videat, sed entia supernaturalia creata sunt in eodem gradu abstractionis cum sint potentialia, ergo possunt ab aliquo intellectu naturaliter videri.

Resp. esse quoque impossibile intellectum qui naturaliter cognoscat entia supernaturalia creata, etiam si illa sint in eodem gradu abstractionis in quo est intellectus Angelicus v. g. ratio est quia ille intellectus specificaretur ab obiecto supernaturali, atque ita esset supernaturalis, quod ostendi esse impossibile. Deinde obiectum supernaturale semper est improporcionatum cum potentia naturali, ergo naturaliter ab ea non potest attingi. Fateor ergo verum esse, quod intellectus non potest vnquam naturaliter cognoscere id quod est in gradu abstractionis superiori, sed nego illum posse cognoscere quicquid est in eodem gradu abstractionis si sit improporcionatum.

SECTIO II.

De possibilitate visionis Dei per vim supernaturalem. Art. 1. & 3.

SI non est creabilis à Deo ullus intellectus, qui naturaliter cum intueri possit, restat, vt si videatur, aut videri possit, id fiat per eleuationem indebitam omni prorsus intellectui creato, vbi triplex esse potest dubium. Primò vtrum verè Dei visio sit possibilis intellectui humano & Angelico, sitque actu existens. Secundò vtrum illa possibilitas demonstrari possit. Tertiò vtrum illa sit possibilis oculo corporeo, aut alicui saltem alteri potentie materiali.

S. I.

Vtrum visio Dei sit possibilis intellectui eleuato & vtrum sit actu existens.

Hæretici
plures ne-
garunt vi-
deri Deum
à beatis.

NEgarunt beatis facilem hanc Dei visionem Armeni apud Alphonsum de Castro, & Armacanum, dicentes Deum per essentiam non cognosci ab illis, sed fulgorem dumtaxat quendam manantem à vultu Dei; quem etiam errorem video tribui Petro Abailardo, & Socio eius Arnaldo Brixienfi licet refragetur Vasquez recentiores sanè Græci abierunt in hanc sententiam, & dicunt non videri Deum nisi in luce quadam, & imagine ab eo effluente, quam vocant Theophaniam.

Ratio autem dubitandi multiplex omnino, & difficilis est, quam video peti partim ex parte obiecti visi, partim ex parte intellectus videntis. Primò enim argumentor ex improporzione Dei clarè visi cum intellectu creato, nam illud obiectum ab intellectu etiam eleuato non potest attingi, quod non habet proportionem vllam naturalem cum eo; sed Deus clarè visus non habet vllam proportionem naturalem etiam inchoatam cum intellectu, ergo, &c. Maiorem admittunt omnes, si enim nulla requireretur proportio etiam inchoata obiecti, & potentie, posset qualibet potentia quodlibet attingere obiectum, & sic oculus posset audire, oculus videre. Probatur maior, vbi est distantia infinita ibi non est proportio, sed inter Deum clarè visum, & intellectum est distantia infinita, ergo non est proportio etiam inchoata. Probo maiorem, distantia infinita potest illud totum quod facit distantia finita, imò cum contineat distantias omnes finitas, poterit illud totum quod possunt omnes distantie finitæ

Prima ra-
tio dubi-
tandi ex
impropor-
tione ob-
iecti.

sed distantia finita sufficit ad tollendam proportionem, imò distantia, & improporzione videntur synonyma, ergo distantia infinita tollet omnem proportionem.

Neque satis est dicere inter Deum clarè visum, & intellectum, non esse proportionem in ratione entis, sed in ratione, obiecti & potentie. Contra enim est quia illa ratio obiecti & potentie, est ratio realis, ergo est ratio entis: ergo illud distat in ratione obiecti & potentie quod distat in ratione entis.

Secundò obiectum omnino supernaturale vt sic, non est intra latitudinem obiecti adæquati potentie create, Deus clarè visus est obiectum supernaturale (vt dixi) ergo non est intra latitudinem obiecti adæquati potentie create. Probatur maior illud non est obiectum potentie create à quo potentia creata non potest specificari, sed non potest etiam inadæquate specificari ab obiecto supernaturali, quia quod secundum se totum est purè naturale, non potest specificari ab ente supernaturali, ergo obiectum supernaturale, non est intra obiectum adæquatum potentie create.

Neque dicas intellectum non respicere rationem illam supernaturalem vt sic, sed tantum sub ratione quadam communi quæ nec est naturalis, nec supernaturalis, sed abstrahit ab vtròque.

Contra enim in isto: ordo transcendentalis potentie ad obiectum antecedit omnem operationem intellectus, illa ratio communis est tantum per intellectum, ergo illa vt sic non respicitur transcendentaliter à potentia. Deinde illud saltem inadæquate specificat potentiam quod attingitur à potentia, ista ratio supernaturalis attingitur, ergo saltem inadæquate specificat.

Tertiò quo perfectius est obiectum eo maior debet esse perfectio determinata visionis quæ illud attingitur quidditatiue prout est in se, Deus est obiectum infinitum simpliciter, ergo visio eius debet esse infinita simpliciter. Probatur maior vt videatur obiectum finitè perfectius alio obiecto finito, necesse est vt visio illius superet determinatam perfectionem finitæ visionem obiecti minus perfecti, nam visio equi perfectior est ceteris paribus, quàm visio lapidis, ergo vt videatur obiectum infinitè perfectius, oportet vt eius visio superet visionem alterius determinatæ perfectione infinita. Confirmatur primò nam ideò Deus est infinitus quia superat, & continet, omnes substantias finitas, sed visio Dei superat & continet omnes visiones finitorum obiectorum, ergo est infinita. Confirmatur secundò Deus vt comprehendendus non magis est infinitus quàm vt videndus, sed vt Deus comprehendatur necessaria est infinita cognitio, ergo vt videatur, necessaria est infinita perfectio. Confirmatur tertiò quia vt videantur creature omnes posibles requiritur infinita visio, ergo illa est multò magis necessaria, vt videatur Deus qui est obiectum multò magis infinitum quàm omnes creature simul sumptæ.

Quartò, potentia vitalis non potest eleuari extra suum obiectum, sed Deus vt clarè visibilis non minus est extra obiectum adæquatum intellectus, quàm Deus vt comprehensibilis, tota enim ratio cur dicas esse intra obiectum adæquatum est quia Deus vt visibilis est ens, Deus autem vt comprehensibilis est etiam ens.

Quintò, magis distat actus purus ab intellectu potentiali, quàm ens spirituale à potentia corporea saltem possibili, sed neque oculus corporeus, neque vlla potentia materialis possibilis potest videre aliud ens spirituale, ergo intellectus non potest videre Deum. Neque dicas magis distare in ratione perfectionis non in ratione obiecti. Contra enim, nam

Secunda
ratio dubi-
tandi ex
supernatu-
ralitate
obiecti.

Tertia ra-
tio dubi-
tandi ex
perfectio-
ne infinita
Dei.

Quarta ra-
tio dubi-
tandi ex
parte in-
tellectus.

Quinta ra-
tio dubi-
tandi ex
paritate
potentie
corporeæ.

si